



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Cæsarius Conf. 27. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

27. Aug. VITÆ SANCTORVM. 421
martyres erogassent, ex his florâ laurâque AVRE-
LIA per somnum visæ utrique præmium operæ
martyrii palmam sunt pollicitæ. Non fefellit tam
sanctus Morpheus. Ducti ad supplicium cum plu-
rimis aliis (ex quibus uni scala in cælum se porri-
gens viam scilicet ostendit) caput truncandum
pro fide præbuerunt, duplii dehinc titulo beati,
cum & conjuges & martyres audiunt, iidemque
& casti & fortis. Ex Surio.

O quam beata mens, que propter sui innocentiam in
conspicu invictissimi eternique Regis astare non vere-
tur, & ad quam velut in proprium thalamum celestis
festivè declinat sponsus! S. Lau. Just. de cast. con. c. 14.

S. CÆSARIUS CONF. 27. Augusti.

Quisquis flores aut fraga legis inter Poëtarum
vireta, heu! cave tibi; latet anguis in herbâ.
Vides indormire CÆSARIVM serpentis amplexi-
bus? Non Æsculapius erat hic, sed Apollo, profa-
nus inquam codex, cui noctem quandoque invi-
gilabat ille, cum precibus debuisset. In somnis
ostendit cælum, serpentis non libri volumina esse,
quibus incumberet. Quare manibus hæc excussit.
Tu quoque, quæ in sinu hos angues imò in oculis
geris legendo, cavebis, iterum moneo, juventus.
Cæterum puer CÆSARIUS non semel prætextam
posuit, ut pauperes hanc acciperent, domi deinde
spoliatum se à prætereuntibus commentus, cum
interim ultrò in has prædonum manus accurre-
ret. E mundo cum abiret, inconsultis id parenti-
bus (ne viam obsiderent) fecit. Abhinc mundo
mortuum quis negabit, quando ubi Abbas ad
Episcopatum Arelatensem quærebatur, tumulo,
quo se absconderat, fuit extrahendus? Multis sa-

piùs calumniis appetitus, exilio mulctatus, vinculis oneratus, unis tamē beneficiis semper certavit. Certè calumniatorem lapidibus obruendum servavit, civicamque ex hoste meruit. Rex ipse Theodoricus cùm reum ad tribunal vocasset, ubi ad instar Angeli splendentem intuitus est, habere exinde patronum suum apud D̄VM maluit. Ejus dona (uti & vasa sacra vestesque) omnia in captivorum subsidia dilapidavit, veros Ecclesiæ thesauros animos esse reputans. Abiit tandem mortuus è vivis, cùm priùs ipse mortuum ad vivos reduxisset. *Ex Lippeloo.*

Demonum cibis est carmina Poëtarum, secularis sapientia, Rheticorum pompa verborum. Hac sua omnes suavitate delectant, & dum aures versibus dulci moderatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devincunt. S. Hieron. in parab. fil. prod.

S. MARGARITA VIDUA. 28. Augusti.

Nobilem hanc MARGARITAM fortuna ad gregis, quem paupereula pascebatur, pedes abjecit. Et tamen splendor illius ex ipso cælo Christum accivit, ut pauperem & ipse indutus stipem peteret. Nec abnuit illa, sed panem, quem unicum habebat, illi tradidit non parvo lucello. Näm continuò Christus ex oculis abiens suavissimo odore MARGARITAM perfudit. Hoc interim probè pastā cùm domum deinde venisset, & mater negaret in penū panem esse, protulit tamen inde MARGARITA talem, qui candore & sapore cælum loqueretur, famamq; non familiæ modò, sed totius viciniae unicus placaret. A morte mariti (nam nubere coegerant parentes) rotā in pietatis studia abiit.